

rare, facienti enim quod in se est Deus non denegat gratiam, illa particula a solo libero arbitrio, non excludit auxilium supernaturale actuale, sed habituale donum sine quo præparatur homo ad gratiam, de hoc enim locutus fuerat D. Thomas in corpore articuli contra aliquos, qui ad gratiam requirebant aliquod lumen nobis infusum quo disponeremur ad illam. Igitur quando dicimus impletionem totius legis habere adjunctam vitam æternam, juxta illud : *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, non debet excludi auxilium supernaturale sine quo non potest talis impletio fieri, et ad vitam æternam dirigi : nam constat quod inter alia : *Sine fide impossibile est placere Deo, et accedentem ad Deum, oportet credere quia est, et remunerator est*, Hebr. xi, quod quidem sine auxilio supernaturali intelligi non potest, nec adimpleri. Unde D. Thomas 1-2, quæstione c, articulo x ad tertium, inquit : « Quod observare omnia præcepta legis homo non potest, nisi impleat præceptum charitatis, quod non fit sine gratia. Et ideo impossibile est quod Pelagius dixit, hominem implere legem sine gratia. »

XXXI. Ultimo, observa aliquorum catholicorum sententiam, quod : Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, intelligi non quod opera naturalia, quæ facit homo sint dispositiones positivæ, ut detur gratia, sed quasi negativæ, quia videlicet remonent impedimenta, ut gratia detur, id est, auxilium, quatenus peccata non sunt, quæ de se impediunt operationem auxilii ; hoc in bonum sensum reducit Lorca quæst. cxii, articulo iii, disput. xxvi, non quia fit aliquod pactum Dei dandi gratiam facienti opera illa naturalia, sed quia ipse ex sua parte nunquam deficit in auxiliis, ideo hoc ipso quod homo non præstat

impedimentum, Deus non subtrahit auxilium, sine ullo tamen pacto, seu debito ; sed ex congruitate suæ misericordiæ.

XXXII. Sed tamen (ut bene notat, et observat D. Thomas super epistolam ad Hebræos, cap. xii, lect. iii) hoc ipsum quod est non ponere impedimentum gratiæ Dei est ex ipsa gratia Dei, quasi ex principio removente obstaculum, atque adeo quod gratia detur nullo modo pendet ex libero arbitrio etiam ut a principio removente prohibens, sed a Deo intendente infundere gratiam, et sic tollente obstacula. Unde liberum arbitrium tollit illa, faciendo ista opera naturalia ex motione gratiæ, et ut subordinatur illi, sicut ventus aperit fenestram, quæ est impedimentum ut intret domum, et impleatur domus ipso vente. Quare non est dicendum, quod detur in nobis aliqua dispositio naturalis, et procedens a solo principio, et motione naturali, quæ vel ex sua natura, vel ex pacto Dei habeat connexionem infallibilem, et debitum ad gratiam ; alias supposito pacto Dei daretur initium justificationis ex nobis, id est, ex viribus naturæ. Si quando ergo opera naturalia conducunt ad obtinendam gratiam, vel removenda impedimenta ad illam, totum hoc est ex misericordia Dei, atque adeo tunc talia opera naturalia procedunt ex Deo movente ad gratiam, quod est procedere ex auxilio supernaturali : bene enim stat quod opera naturalia aliquando procedant ex auxilio supernaturali, sicut etiam a nobis possunt imperari a virtute supernaturali in ordine ad finem supernaturalem.

## ARTICULUS II.

*Utrum reparatio a peccato quoad omnes effectus suos requirat gratiam supernaturalem?*

I. Sensus hujus quæstionis non est inquirere de forma, qua fit justificatio, quænam, et qualis sit, nec de dispositione, et motu liberi arbitrii ad eam requisito ; an essentialiter necessaria sit, quia primum pertinet ad materiam de justificatione, secundum ad materiam de penitentia : sed sensus difficultatis est, an ex omnibus effectibus, et damnis quæ infert peccatum, nullo sit reparabile nisi per gratiam supernaturalem, aut ita sint inter se connexi isti effectus, ut non possit unus separari ab alio, et tolli sine gratia : est enim supponendum, quod sicut justificatio, et gratia varios effectus important, quosdam physicos, alios morales, sic et peccatum multa damna infert, quæ S. Thomas hic art. vii reducit ad tria, scilicet ad maculam, per quam privatur homo ipsa rectitudine conversionis ad Deum, et nitore gratiæ ; ad reatum pænæ æternæ, et ad corruptionem boni naturalis. Cum autem resurgere a peccato (ut ibidem dicit sanctus doctor) non sit solum cessatio a peccato, sed reparatio, et restitutio eorum quæ per peccatum amissa sunt, manifestum est quod adæquata, et plena reparatio omnium, quæ per peccatum tolluntur, exigit gratiam, quia inter damna quæ per peccatum inferuntur, quædam sunt circa supernaturales formas, quæ amittuntur, et nisi per formas supernaturales, et ipsam gratiam non possunt reparari, quædam etiam sunt quæ omnino gratis a Deo fieri debent juxta Apostoli Roman. iii : *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Unde et ipsa gra-

tia, quæ infunditur in tantum facit hanc remissionem peccati, et offensæ Dei, in quantum est forma, et effectus supernaturalis procedens a voluntate Dei diligente nos et remittentis, ipsa gratia formaliter præstat in nobis remissionem offensæ, de quo amplius dicemus in materia de justificatione.

II. Quare difficultas præsens solum est de reparatione a peccato inadæquate considerata, et quantum ad aliquem effectum secundarium ex his, qui a peccato inferuntur, an possit reparari sine gratia supernaturali, præsertim quoad corruptionem boni naturalis, et quoad illos effectus, qui dependent ex denominatione aliqua extrinseca Dei, verbi gratia quoad remissionem offensæ, et reatus pænæ, et alios similes, qui videntur posse fieri saltem de potentia absoluta sine aliqua intrinseca mutatione, et infusione doni, per solam extrinsecam voluntatem Dei, et ratio dubitandi est, quia hoc quod est Deum manere offensum post peccatum, et hominem obligatum ad pœnam æternam, videtur solum pendere ex voluntate Dei, non ex aliqua mutatione intrinseca voluntatis humanæ, nec enim ipsi homini voluntarium est, quod talis effectus, et offensa maneat post peccatum, sed potius involuntarium ; ergo sine aliqua conversione, aut mutatione ipsius voluntatis, qua fiat illi involuntarium quod ante voluntarium erat, videtur per solam Dei voluntatem posse tolli hanc obligationem offensæ, et reatum pænæ.

III. Deinde corruptio boni naturalis videtur posse reparari sine gratia supernaturali ; tum quoad virtutem acquisitam, contra quam peccatur, verbi gratia si est peccatum contra temperantiam, per reparationem temperantiæ reparatur illa virtus ; tum contra aversionem a fine ultimo naturali, quia

ista aversio per conversionem oppositam reparatur, id est, per dilectionem Dei auctoris naturalis super omnia; nec enim ad tollendam aliquam privationem aliquid amplius requiritur, quam oppositam formam illi proportionatam adhibere, forma autem proportionata privationi boni naturalis, est bonum naturale oppositum; ergo per solam conversionem ad finem naturalem potest reparari aversio ab illo. Nec apparet ita esse connexam aversionem a fine naturali cum aversione a fine supernaturali, ut non possit una sine altera tolli, potest enim homo justus diligere Deum præcise ut auctorem naturæ, et similiter homo in puris naturæ ex charitate naturali; ergo similiter homo lapsus ex auxilio speciali ordinis naturalis. Quod autem per peccatum mortale ita amittatur principium intrinsecum diligendi Deum, quod sine actione supernaturali non possit ad illam converti, sicut sine miraculo non potest homo mortuus resuscitari, nec reviviscere, falsum videtur: sicut enim homo conversus ad bonum finem potest ad malum converti, cur non poterit conversus ad malum finem odio illum habere, et diligere bonum finem, cum voluntas nostra sit mutabilis ex uno in aliud?

IV. Nihilominus D. Thomas hic articulo septimo expresse tenet, quod nulla reparatio peccati potest fieri sine gratia, nec etiam ipsa corruptio boni naturalis, quæ per peccatum incurritur. Quod ut melius intelligatur, dico primo: In statu in quo nunc sumus elevati de facto ad finem supernaturalem, non potest homo sanari etiam quantum ad corruptionem boni naturalis, nisi per gratiam supernaturalem. Ratio est, quia supposita hac elevatione non potest homo averti a Deo fine naturali, quin avertatur etiam a fine supernaturali, et maneat privatus ip-

sa supernaturali conversione ad Deum, quia quodcumque peccatum etiam contra naturalem finem repugnat conversioni supernaturali ad Deum, et cum sit in subjecto apto ad habendum illam formam, manet privatus illa, non solum negative, sicut ille qui est in puris naturalibus, sed etiam privative. Rursus de facto non potest tolli aversio a fine naturali, quin tollatur a fine supernaturali, quia non potest tolli peccatum ex una parte, et manere ex alia: « Impium est enim dimidiam a Deo sperare veniam, » ut inquit Augustinus libro de penitentia, et D. Thomas III p. quæst. LXXXVI, art. III. Ergo non potest aliquis pro hoc statu sanari ab uno damno peccati, quin reparetur ab alio, ratione ejus concomitantia, et conjunctionis nulla datur conversio efficax ad Deum, nec amor Dei super omnia in peccatore, nisi ex auxilio supernaturali, et cum conversione ad Deum finem supernaturalem (ut dispositione præcedenti dixi) et sic opponuntur privative, et immediate gratia supernaturalis, et peccatum pro hoc statu, supposita illa elevatione ad finem supernaturalem, ratione ejus conjungitur semper conversio ad Deum auctorem naturalem, et supernaturalem.

V. Dico secundo: In statu puræ naturæ, id est, remota elevatione ad finem supernaturalem, vel si modo vellet Deus de absoluta potentia reparare peccatorem quantum ad aversionem naturalem, et non quantum ad supernaturalem, talis reparatio quoad effectus physicos, quos facit peccatum non indigeret forma supernaturali, indigeret tamen actione supernaturali quantum ad modum, sicut est supernaturalis resuscitatio mortui, et illuminatio cæci. Hæc est sine dubio sententia Cajetani hic articulo septimo et sequuntur Lorca, Curiel,

Montesinos, et alii infra citandi. Prima pars ex eo constat, quia in tali casu solum reparatur privatio formæ naturalis; ergo solum indiget forma naturali tollente illam privationem, scilicet rectitudine naturali; quæ fieret tunc per dilectionem Dei supernaturalem, sive per conversionem naturalem ad Deum, vel quæcumque aliam justitiam naturalem, de illa enim forma qualis sit, an actus, vel habitus modo non disputo, sed solum an sit naturalis, vel supernaturalis.

VI. Secunda pars probatur ex D. Thoma prima secundæ, quæst. LXXXVIII, art. I, qui in hoc constituit rationem peccati mortalis, quod tollit principium vitæ moralis, sicut infirmitas mortalis tollit principium vitæ animalis; principium enim vitæ in moralibus est finis, sicut se habent principia prima in speculabilibus, et sicut cor in animalibus, ex ordine enim ad finem incipit, et desumitur voluntas eorum, quæ sunt ad finem, quare remoto ordine ultimi finis non relinquatur aliquod principium intrinsecum per quod reparatur moralis ordinatio circa ea, quæ sunt ad talem finem: ipsa autem dilectio, et voluntas finis ultimi, cum sit primus actus voluntatis, si est circa bonum, est a Deo movente, non a se ipso per alium finem; ergo ut reparetur voluntas circa conversionem ad talem finem postquam aversa est ab illo indiget motione Dei, talem voluntatem imperante, et dominante: ergo sicut dare vitam mortuo animali pertinet solum ad Deum, et illa actio quoad modum est supernaturalis, quia excedit facultatem naturæ totius; ita movere, et convertere voluntatem ad illius finem ultimum, quem reliquit, est actio solius Dei, et excedit facultatem naturæ, quia non potest voluntas per facultatem propriam se movere, nisi supposito fine.

VII. Dico tertio: Effectus moralis in reparatione a peccato quantum ad remissionem culpæ, et reatus pœnæ æternæ, etiam si fiant in statu puræ naturæ, requirunt gratiam supernaturalem, saltem extrinsecam ipsius voluntatis Dei, ut auctoris supernaturalis, licet de potentia absoluta non requiratur infusio formæ supernaturalis. Hæc est contra Lorcam, infra disput. XXXVII, dub. II, et Curiel hic quæstione CXIII, art. II, dubio II; sed sine dubio est D. Thomæ hic articulo septimo, qui exigit ad remissionem reatus pœnæ æternæ gratiam Dei. Ratio est, quia licet peccatum factum in pura natura non sit contra Deum finem supernaturalem privative seu positive, sed solum negative, tamen si Deus velit gratis remittere illud, talis condonatio non mensuratur penes id quod est peccatum in se, sed penes id quod possit Deus juste exigere in recompensam illius, hanc enim condonat, et remittit Deus, non ipsam peccati actionem tantum, ut patet quando homo condonat alteri injuriam, remittit enim id quod sibi debebatur pro injuria, non ipsam actionem injuriosam tantum: sed pro peccato factum in pura natura posset Deus juste exigere satisfactionem supernaturalem, sicut est satisfactio de rigore justitiæ, quæ solum a Persona divina exhiberi potest; posset etiam inferre tormenta æterna qualia modo exequitur in spiritibus damnatis, quos supernaturali modo torquet, et cruciat, scilicet per actionem ignis corporei in ipsum spiritum, quod superat omnem facultatem naturæ; ergo si totum hoc gratis remittit, tamquam auctor supernaturalis remittit, quia supernaturalia sunt quæ remittit, et posset juste exigere.

VIII. Dices: Totum hoc non potest fieri per voluntatem Dei extrinsecam.

cam sine aliqua mutatione creaturæ, quia Deus non habet illam voluntatem de novo per mutationem sui; ergo per mutationem creaturæ: Respondetur non semper esse necessariam mutationem positivam in creatura, sed sufficere negativam, vel moralem; sicut si Deus velit aliquem annihilare nihil positivum ponit in illo, et si velit aliquem obligare præcepto, obligatio illa solum est effectus moralis; sic potest Deus velle quod iste non sit obligatus ad pœnam, et quod sibi non debeatur satisfactio, et sic ponit effectum negativum, qui physice non mutat, sed moraliter. Aliud est reddere hominem dignum sua dilectione, hunc enim effectum existimo non posse per solam denominationem extrinsecam poni in homine (ut dicam in materia de justificatione) quia homo per peccatum manet intrinsece indignus dilectione Dei, si quidem manet intrinsece aversus a rectitudine debita; ergo quamdiu ista intrinseca indignitas non tollitur, non potest objectum in se ipso reddi dignum dilectione Dei per solam extrinsecam denominationem, quia hæc non mutat id quod intrinsecum est.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

IX. Ad primam rationem dubitandi respondetur ex dictis, quod illi effectus morales remissionis culpæ, et pœnæ, dato quod fiant sine gratia infusa, et inhærente de absoluta potentia, exigunt tamen ad minus gratiam supernaturalem extrinsecam, id est, voluntatem Dei remittentis ut auctor supernaturalis, quia condonat, et remittit satisfactionem supernaturalem, quam posset exigere.

X. Ad secundam respondetur, quod reparatio boni naturalis cor-

rupti per peccatum non exigit ex parte formæ reparantis formam supernaturalem, si fiat in statu puræ naturæ, sed tamen etiam tunc requirit actionem supernaturalem quantum ad modum, et ex parte principii efficientis, sicut illuminatio cæci, et resuscitatio mortui; pro isto autem statu non potest tolli aversio a Deo fine naturali, nisi simul tollatur a Deo fine supernaturali, quia etiam illi opponitur peccatum, et Deus non dat dimidiatam veniam. Non tamen repugnat elici actum dilectionis Dei naturalis sine dilectione supernaturali, sed illa non conducet sine ista ad remissionem peccati, et reparationem ejus prout de facto fit, ut ostensum est. Cur autem voluntas quantumcumque mutabilis, non possit reparari ad finem bonum, a quo aversa est per actionem suam, sed solum per actionem Dei supernaturalem, ideo est, quia voluntas erga ultimum finem non potest moveri nisi a principio extrinseco, quod est Deus; homo enim secundum propriam facultatem, et naturalem non potest se movere nisi ex aliquo prius volito, sicut ex fine ad media, et licet in primo instanti sit debitum ut moveatur a Deo fine naturali, sicut in primo instanti generationis hominis est debitum ut infundatur illi anima a Deo, tamen amissa semel anima, non debitum est, sed supra naturam, ut reddatur corpori; ita amisso fine ultimo, non est debitum homini ut moveatur a Deo ad illum; tum, quia ex ipsa aversione offendit Deum, et reddit indebitam gratiam ut convertatur ad ipsum; tum, quia habendo alium finem ultimum, connaturalius est ut secundum illum operetur, quia ex forma dominante connaturalius sequitur actio, non contra illam; ut autem contra bonum finem operemur per peccatum non indigemus principio ex-

trinseco, sed sola deficientia naturæ, et amore proprio, et fomite peccati, sicut ad corruptionem, et mortem non indiget homo principio extrinseco, sed sola materia corruptibili, ad vitam tamen resuscitandam indiget principio extrinseco.

## ARTICULUS III.

*Utrum ad evitanda omnia peccata mortalia, et venialia, sit necessaria gratia supernaturalis?*

I. Respondeo, et dico primo: Existens in peccato mortali pro hoc statu non potest omnia peccata mortalia collective vitare, sive pro tota vita, sive pro longo tempore, sine gratia supernaturali. Itaque si non convertatur ad Deum per gratiam justificantem, non poterit omnia peccata mortalia vitare, nec longo tempore, neque tota vita. Hanc conclusionem habet expresse S. Thomas hic articulo octavo. Sed de ejus intelligentia dubium est, quibusdam dicentibus, quod ad vitanda omnia peccata requiritur ista gratia, quasi ex parte termini, id est, quod si evitaverit aliquis omnia peccata mortalia consequetur gratiam justificationis: aliis vero dicentibus quod requiritur gratia justificationis ex parte principii, id est, quod requiritur justificari hominem ut evitet omnia peccata mortalia. Primo modo sentit Vazquez hic disp. cxcvi, cap. 1, quia inquit non patietur Deus ut qui diu servat legem suam non infundatur ei gratia compunctionis, et charitatis, citatque pro sua sententia Scotum, et Henriquez, qui dicunt bene operanti, et evitanti peccata Deum dare auxilia, quibus disponatur ad remissionem peccati, licet isti auctores inquit Vazquez, existiment illas priores dispositio-

nes esse ex viribus naturæ, ipsum vero sentire quod nullum opus bonum quantumvis minimum, sit ex viribus propriis, sed ex meritis Christi, cum tamen non omnes dispositiones esse ex auxilio supernaturalis ordinis, supra ex ipso Vazquez ostenderim, explicando quomodo: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Secundo vero modo explicant D. Thomam Lorca hic disput. iv; Curiel super hunc articulum viii, dub. iii, concl. i et iii, citatque pro se Conradum, Ferraram et Cajetanum, quamvis Cajetanus adhibeat modificationem sententiæ D. Thomæ quod intelligitur de homine existenti scienter, et secundum affectum in peccato mortali, non qui ex ignorantia, et de facto, licet non ex affectu, imo iste (inquit Cajetanus) numerandus est inter eos, qui incipiunt divina gratia reparari.

II. Igitur hoc secundo modo intelligendam esse sententiam D. Thomæ ex ejus verbis colligitur: « Quia, inquit, existentem in peccato mortali antequam ratio in qua est peccatum mortale reparatur per gratiam justificantem, posse singula peccata mortalia vitare, et per aliquod tempus, sed quod diu manent sine novo peccato mortali, esse non potest. » Pondero contra Vazquez illud verbum antequam ratio reparatur per gratiam justificantem. Ergo reparatio ista antecedenter requiritur ad evitandum omnia peccata mortalia; ergo non solum terminative, sed ex parte principii tamquam status, et conditio requisita ut evitentur aliqua peccata necessaria est; cæterum rationem hujus conclusionis reddere non est ita facile; tum propter illud commune argumentum, quia homo est liber in quocumque statu ad evitanda omnia peccata mortalia, alias non peccaret non evitando omnia, et